

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3993

**Auteur(s) :** Jean sans Terre, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Philippe II Auguste, France (roi)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1200, mai

**Lieu d'émission :** Goulet

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Jean, roi d'Angleterre, notifie le traité conclu entre lui et Philippe [II], roi de France.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1063, p. 280-281.

Texte établi d'après a

Johannes, Dei gratia, rex Anglie, dominus Hibernie, dux Normannie, Aquitanie, comes Andegavie, omnibus ad quos presens carta pervenerit, salutem. Noveritis quod hec est forma pacis facte inter dominum nostrum Philippum, illustrem regem Francie, et nos, scilicet quod nos tenebimus illi et heredibus suis pacem quam frater noster rex Ricardus fecit illi inter Exoldunum et Charrotium, exceptis hiis que per presentem cartam excipiuntur vel mutantur, propter interceptiones quas idem frater noster illi fecit de pace illa, scilicet quod nos donavimus illi et heredibus suis, sicut rectus heres regis Ricardi, fratris nostri, civitatem Ebroicarum et Ebroicinum cum omnibus feodis et dominiis, sicut subsequentes mete determinant. Mete autem sunt posite in media via inter Ebroicas et Novum burgum, et totum id quod erit inter has metas ex parte Francie erit domini regis Francie ; id autem quod erit ex altera parte versus Novum burgum erit nostrum ; et quantum terre habebit dominus rex Francie versus Novum burgum, tantum terre habebit versus Conches, et versus Akenny, ad eandem mensuram ; ex ea parte ubi abbatia de Noa sita est sicut aqua Ytonie currit ; Guitebo, ubicumque sit, donavimus domino regi Francie. Tillerie cum pertinentiis suis et Danvilla remanent nobis, ita tamen quod dominus de Bruerolis habebit id quod debet habere in dominatu de Tilleris, et dominus de Tilleris habebit id quod habere debet in dominatu de Bruerolis. Concessimus etiam de episcopatu Ebroicensi domino regi Francie id quod est intra has metas, unde episcopus Ebroicensis domino regi Francie et heredibus ejus respondebit ; idem autem episcopus nobis et heredibus nostris respondebit de hoc quod erit extra has metas. Et sciendum quod neque dominus rex Francie neque nos poterimus firmare intra metas constitutas intra Novum burgum et Ebroicas, neque apud Guitebo, neque nos ex parte nostra, neque dominus rex Francie ex parte sua, nisi ubi firmatum est infra metas predictas. Preterea fortelicie de Portes et de Landes in continentis dirruentur, neque ibi alie fortelicie poterunt reedificari. Hec autem omnia, que comes Ebroicensis infra has metas tenebat, fecimus domino regi Francie quietari a recto herede Ebroicarum. De Vulcasino Normanno ita erit : nobis et heredibus nostris remanent feoda et dominium, sicut archiepiscopus Rothomagensis exinde tenens erat die quo fecit excambium de Andeliaco ; totum residuum Vulcasini domino regi Francie remanet. Ipse vero rex Francie non poterit firmare ultra Gamagias ex parte Normannie, neque ultra finem foreste Vernonis, sed infra ; neque nos

ultra forestam Andeliaci poterimus firmare, sed infra. Dedimus autem in maritagio Lodovico, filio regis Francie, cum filia regis Castelle, nepte nostra, feodum Exolduni, et feodum Crascaii, et feoda Bituresii, sicut Andreas de Calviniaco ea tenebat de rege Anglie, et de omnibus hiis erit dominus rex Francie saisisitus usque dum matrimonium predictum sit consummatum. Et quicquid contingat de matrimonio postquam factum fuerit, dominus rex Francie tenebit predicta feoda tota vita sua, et post decessum suum redibunt predicta feoda ad nos et heredes nostros, si predictus Lodovicus heredem non habuerit de predicta nepte nostra. Si vero nos mori contigerit absque herede de uxore nostra desponsata, cum predictis feodis dedimus eisdem in maritagium feodum Hugonis de Gornaco citra mare Anglie, sicut id tenet de nobis, et feodum comitis Albemarle citra mare Anglie, et feodum comitis Pertici, sicut ea tenent de nobis citra mare Anglie. Preterea nos dedimus domino regi Francie viginti milia marcas sterlingorum ad pondus et legem in quo fuerunt, videlicet tredecim solidos et quatuor denarios pro marca, propter rechatum suum, et propter feoda Brittannie que rex Francie nobis dimisit. Nos vero recipiemus Arturum in hominem, ita quod Arturus Brittanniam tenebit de nobis, et nos sicut rectus heres tenebimus de domino rege Francie omnia feoda, sicut pater noster et frater noster rex Ricardus ea tenuerunt à (sic) domino rege Francie, et sicut feoda debent, exceptis supradictis, que domino regi Francie remanent, sicut predictum est. De comite Engolismi et vicecomite Lemovicensi, sic erit, quod nos recipiemus eos in homines, ita quod eis jura eorum dimittemus. De comitibus Flandrie et Bolonie sic erit, quod comes Flandrie tenebit de terra domini regis Francie id quod tenet, et dominus rex Francie, ea que tenet de rebus comitis Bolonie, feodum et dominium ; et ea que comes Pontivi inde tenet, feodum et dominium, remanent domino regi Francie et comiti Pontivi. Propter hoc quod comes Flandrie tenet de rebus domini regis Francie, comes vero Flandrie faciet domino regi Francie hominagium ligium, et, si idem comes Flandrie aut aliquis hominum ipsius regis Francie, qui melius sint aut debeant esse homines ipsius regis Francie quam nostri, ipsi regi Francie malum vellet facere vel nocere, nos non possemus eum contra dominum regem Francie juvare vel manuteneremus ; neque dominus rex Francie similiter nostros, qui melius homines nostri sint quam sui aut debeant esse, salva forma hujus pacis predicte. In conventionibus istis, domino regi Francie habemus conventionem quod nos nepoti nostro Othoni nullum auxilium faciemus, nec per milites, nec per gentem, nec per nos, nec per alium, nisi per consilium et assensum domini regis Francie. De Arturo sic erit, quod nos non minuemus eum, nec de feodo, nec de dominio Brittannie citra mare, nisi per rectum juditium curie nostre. Nos vero dedimus domino regi Francie securitates de hominibus subscriptis, scilicet Balduino comite Albemarle, comite Willelmo Marescallo, Hugone de Gornaco, Willelmo de Humet, constabulario Normannie, Roberto de Herecorte, Johanne de Pratellis, Willelmo de Kaeu, Roger de Toeneio, Garino de Glapione, qui juraverunt hoc modo quod ipsi cum omnibus feodis suis citra mare ad dominum regem Francie irent, si hanc pacem ei non teneremus, sicut est divisa. Dominus quoque rex Francie similiter dedit nobis securitates de hominibus suis subscriptis, scilicet comite Roberto Drocum, Gaufrido comite Pertici, Gervasio de Castello, Willelmo de Garlanda, Bartholomeo de Roia, Galtero camerario patre, Ursione filio ejus, Philippo de Leviis, Galtero camerario juniore, qui similiter hoc modo juraverunt quod cum omnibus feodis suis ad nos venirent, si dominus rex Francie hanc pacem non teneret, sicut est divisa. Nos autem et ostagii prenominati juravimus hec omnia predicta bona fide et sine malo ingenio fideliter et firmiter observanda. Quod ut perpetuum robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate roboravimus. Actum apud Guletонem, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo, mense maio.